


# DEO OPTIMO MAX.

## UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

## QUÆSTIO MEDICA,

*CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,*
*manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis 16ª menſis Maii, Anno Domini* M. DCC. XLIII.

M. JOANNE-BAPTISTA BOYER, Conſiliario Medico Regis ordinario in Senatu Pariſienſi, & Cenſore Regio, Doctore Medico, Præſide.

*An gravidis aqua potus?*

I.

Æ ſunt Medici leges officii, ut non tantùm amiſſam reſtituat ſanitatem, verùm etiam præſentem conſervet. Sanitatis integritatem efficit fluidorum cum ſolidis æquilibrium, ſive, quod idem eſt, ſphæræ ſanguinis ipſiuſque motûs, cum diametro ac renitentia vaſorum, juſta & adæquata proportio. Quæ ſi detur, purpurei laticis circuitus indeſinenter & facilè perficitur: unde functionum omnium proindéque ſanitatis integritas. Hujus conſervatio à recto & legitimo ſex rerum non naturalium uſu procedit. Sic aër, quo illæſus homo diu carere nequit,

eò eſt ſalubrior, quo purior temperatiorque. Nocet è contrariò, ſi minùs purus & temperatus ſit, aut debito elatere deſtituatur; imò maximè nocet, ſæpiſſiméque mortem procreat, ſi venenatis miaſmatis inficiatur. Moderata corporis exercitatio firmiorem reddit ſanitatem: immoderata debilitat. Diurnis laboribus defatigata corpora blandâ quiete levantur; deſideriori vitâ torpeſcit ſanguis, craſſeſcunt humores, obſtructiones generantur in partibus, ſecretiones impediuntur; vigiliis immodicis diſſipantur ſpiritus, exſiccantur ſolida, fluidaque corporis. A ſomno diutiùs protracto obruuntur vires; ſicut à moderato & conſueto reparantur. Jucundis animi pathematis mens fit hilarior, blanda fovetur ſanguinis fermentatio, hinc uberiùs ſecernuntur ſpiritus expeditiùſque ad totius corporis partes fluunt. Mœrore & triſtitiâ ex adverſo imminuitur fermentatio, ſpiritus in cerebro retinentur. Per varias ſecretiones & excretiones continuò depauperatus ſanguis, quotidie cibo & potu reficitur. Uterque eò ſalubrior, quò ſimplicior. Uti cibus multiplex, ita quoque in uſu familiari diverſæ uſurpantur potiones, ex quibus eam ſalubriorem dixeris, quam puriorem, particuliſque heterogeneis minùs onuſtam ac ſanitati magis idoneam experientiâ comprobaveris. Hanc prægnantibus præſcribere ne immoreris. Innumeris quippe, per totum graviditatis curriculum, afficiuntur incommodis, quæ ſin minùs omnino purioris & ſimplicioris hujuſce liquoris hauſtu levaveris, mitiora ſaltem reddes.

## I I.

QUÆ utero gerentibus ſuperveniunt ſymptomata, ab ipsâ conceptione ut plurimùm invadunt. Horrores enim & rigores ſtatim perſentiunt; triſtes & ad motum tardiores deprehenduntur; variis exinde affliguntur incommodis; inter quæ ut plurimùm primas tenet menſtrui ſanguinis fluxûs ſuppreſſio, mox anxietates, frequens animi deliquium, cordis palpitatio & ſubſultus, cardialgia, nauſeæ, vomituſque ſuboriuntur; inſurgit cibi faſtidium, anorexia, pica, malacia, abſurdorumque appetitus, ita vehemens, ut ſi prægnantibus quæ adeò expetunt, non illicò conceſſeris, violento quodam œſtro percitæ, ſtatim incidant in ſyncopen, aliaque tam metuenda ſymptomata, ut præternaturali fibrarum totius corporis ſuccuſſione excutiatur tandem fœtus; ſin autem, horrendis viſu ac turpiſſimis maculis fœdata proles edatur. Tanta eſt læſæ & perturbatæ matris imaginationis vis! Accedunt inſuper tuſſes moleſtæ, vertigines, dolores in præcordiis, in ſtomacho, in inguinibus, & lumbis. Tenduntur ac indurantur mammæ, quarum papillæ lancinantibus divexantur doloribus. His primis graviditatis incommodis ſuccedunt alia in decurſu, qualia ſunt dyſuria, ſtranguria, lotii quandoque ſuppreſſio, alvi adſtrictio, teneſmus, hæmorrhoïdes, pedum tibiarumque inflatio, ac proinde progreſſio difficilior. Hæc ſimul omnia interdum patiuntur gravidæ, quæ ſedare ſi tibi ſit animus, cùm ubique & nimia vaſorum inertia, ſanguinis craſſities ac lentor, fermentorumque ſumma rigiditas & acuties arguatur, ad aquæ potum confugias; ab ea enim laxantur firma nimis vaſa, exſiccataque flexibiliora redduntur, fermentorum rigiditas & acuties obtunditur, ſanguini fluiditas conciliatur, atque hujuſdem progreſſivus augetur motus.

## I I I.

EX diverſis hucuſque enumeratis accidentibus, alia, ut jam diximus, cum ipſa conceptione ingruunt, eamque ſæpiſſimè indicant. Aliis mediis tantùm graviditatis menſibus ſubortis, penitus confirmatur. Hæc ultima incremento fœtus, mole & pondere vicinas, quibus adjacet uterus, partes & vaſa comprimentis, adſcribere ne recuſes: prima verò aliundè deduxeris, ab inquinatâ nempè & in-

versâ humorum omnium diathesi, ex auræ seminalis misturâ. Sanguinem igitur cogi & inspissari à partibus salino acidis sulphureis auræ seminalis, inconcussæ veritatis tibi præbent argumenta frigus, horrores, rigores statim à prospero congressu invadentes. Quia sanguinis motus circularis, in quo consistit calor, imminuitur. A sanguine coacto serum facilè secedens acidis, quibus refertur, spiculis membranosas partes vellicat, tendinosasque convellit; non absimili ratione quâ horrores & rigores in febribus intermittentibus superveniunt ab acido salsi fomitis febrilis in sanguinem proventu. A coacto iterùm sanguine & viscidiori, spiritus ejusdem indolis parciori copiâ generantur. Horum penuriâ & qualitate solidorum fluidorumque motus segniores evadunt: stagnant igitur humores. Hæret in partibus sanguis, & spirandi difficultatem infert, si hærens in pulmonibus, eorum vesiculas ita premat, ut solitus aëris ingressus denegetur; sin autem ab hac eadem causa ita distendantur arteriæ, ut resiliant, sanguinemque versus cor repellant, palpitatio inducitur; syncopes verò, si præ nimiâ sanguinis crassitie & vasorum inertiâ, eadem quâ propellitur velocitate è dextro cordis thalamo, ad sinistrum non revehatur. A saliva viscidiori involvuntur nimis sapidæ alimentorum partes, vel non satis extricantur, ergò nullus in ore sapor, nisi ingratus; unde cibi fastidium. Fermentum ventriculi à natura sua prorsus alienum, ipsum non ampliùs ad famem stimulat, ingesta alimenta, ob ipsius fermenti lentorem & visciditatem, moram in eo trahunt, salium evolutione pravam concipiunt fermentationem, in cacochyliam acidam vertuntur. A nidulante in ventriculo saburra lacessitur membrana ipsius nervosa: hinc, pro majori vel minori irritatione, modò cardialgia, modò nauseæ suboriuntur, vomitus denique, si tanta fuerit irritatio, ut spiritus reflectantur in fibras diaphragmatis & musculorum abdominis, & inde in simultaneam adigantur contractionem. Quoniam pro ratione majoris molis, corpora majorem quoque suscipiunt motûs quantitatem, facilè concipies cur ex violentis animi pathematis tanta sequatur fibrillarum totius corporis succussio, ut fœtus plerumque excludatur. Hæc symptomata liquoris aquei potu saltem mitigari posse indicant, ipsæ aquæ virtutes, & plurimarum gentium consuetudo.

## I V.

AQUA omnibus potionibus simplicior, à supremo rerum omnium Conditore, pro unico potu, in ipso mundi principio hominibus concessa videtur. Cæteris ergò omnibus voluptatis causâ inventis longè præstantior. Hîc & illic occurit in omnium animantium commoda: aliam tamen aliâ salubriorem dixeris. Putealis stomachum gravat, ideóque cruda censetur nimis, quia partes ejus nec agitatæ, nec Solis calore subactæ, crassiores remanent. Lacustres & palustres perpetuò tenuiorum partium jacturam patiuntur, defectu tandem motûs, non ex æquo defæcantur, ideò insalubres arguas. Fontanas & fluviatiles cæteris præstantiores agnoscas, quarum partes, pro longiori ab origine tractu agitatæ, magis & magis etiam atteruntur, ac dividuntur, partibusque heterogeneis exonerantur, puriores ac proindè stomacho minùs infensæ sunt, ut quotidiana demonstrat experientia. Exilissimæ etenim sunt partes aquæ, unde facillimè omnia madefacit corpora ac permeat. Rigidiora laxat solida, atque fervidiores humorum æstus compescit. Linguam, palatum, ac aridas nimis imas fauces alluendo, sitim extinguit, alimentorum in ventriculo divisionem promovet, chylique ulteriori elaborationi plurimùm confert. Humores diluit, & demulcet, salia eorum exuperantia dissolvit, ac per consueta naturæ incernicula secum abripit. Uno verbo, sanguini fluiditatem conciliat, ac motum ejus fovet progressivum. Tot tantæque quibus pollet virtutibus aqua, firmiorem ominantur valetudinem, & adversùs morbos acu-

tos epidemicéque graſſantes, remedium tibi pollicentur prophylacticum eximium. (*a*) Quæ omnia prægnantibus aquæ potum ſalubriorem arguunt cum præter modò præfata quibus afficiuntur geſtationis tempore, incommoda, febribus acutis, malignis, phlegmonodeis, variolis, & morbillis ſint obnoxiæ, quæ utero gerentibus ut plurimùm lethales evadunt, teſte Hippocrate: (*b*) ex eo quod, præ-abortûs formidine, ſolita quandoque non ſuppeditentur auxilia, ut ſunt venæ-ſectiones repetitæ, quæque ſæpiſſimè, ex naturâ morbi aut partis affectæ, in malleolo indicatæ, minimè tamen celebrantur, ne nimia humorum in uterum fiat derivatio: unde facto majori ſanguinis in uterum confluxu, abortûs maximum imminet periculum. Triſte ergò vel funeſtum inſtituas præſagium, quoties morbis acutis corripiuntur prægnantes. At ſibi gratulentur, cùm ipſis præſto ſit aqua; cujus potu & ſævientia ſedare incommoda, & minitantes morbos avertere queant.

(*a*) DD. Geoffroy, *Facult. Decan. in eleganti Theſ. an ſaviente peſt. aqu.* 1721?
(*b*) *Hippoc. Aph.* 30. *ſect.* 5.

## V.

EX quò vinum hominibus innotuit, illecebroſi illius liquoris uſus, velut alterum contagium, de regione in regionem ita ſerpſit, ut quibus in locis deficeret, congeneres illi liquores ex variis fructibus educere conati ſint. Quæ hodie in uſu familiari uſurpantur, ex hordeo, frumento, avenâ, pomorum pyrorumque ſuccis eliciuntur. Quæque tamen ut conficiantur, fermentationi committi debent, ut ſulphureis terreniſque partibus intricata priùs principia evolvantur. Peractâ tandem fermentatione, liquorem habes ex ſubdulci maximè flagrantem. Sit tibi vinum in exemplo, quod ſi deguſtetur, arridebit quidem multorum palato, ſi intùs aſſumatur, totius illicò corporis calorem intendit, & vires refocillat. Unde verò tam ſubiti oriantur effectus? Ipſa te edocebit vini analyſis; partibus enim quibus abundat ſulphureo-volatilibus, adaugetur ſanguinis fermentatio, ſolidorum accelerantur oſcillationes, quia vellicantur ſtamina nervea: atque ſic partium omnium motus fit intenſior. A vividiori fermentatione diſſipatur ſerum ſanguinis; undè craſſior factus, ejuſdem indolis ſuppeditat recrementa: quæ, præ ſuâ nimiâ craſſitie, ad munia ſua obeunda minùs habilia evadunt; quot exinde ſubnaſcantur mala nemo neſcit. At ab aquæ potu nullum ex his ſequitur incommodum; undè prægnantibus mulieribus, quarum nec etiam leviſſimi morbi periculo vacare poſſunt, ſaluberrimi illius liquoris uſum præſcribe. Sicque feliciorem partum, generoſioremque prolem non imprudenter ominaberis. Quam verò difficilè geſtationem ferant, & debiles generent pueros, quæ vino ſpirituoſiſque potionibus magis utuntur, attento & libero revolve animo. Ex adverſo regiones Orientales perluſtra, aliaſque in quibus vini uſus adhuc ignotus eſt, vel prohibetur; ibi non modò robuſtiores & longævos magis viros, ſed etiam mulieres, abſque gravibus incommodis, graviditatis facilè percurrentes tempora miraberis; undè jure concludes;

*Ergò gravidis aqua potus.*

Proponebat Pariſiis, FRANCISCUS BIDAULT, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis in Univerſitate Pariſienſi Baccalaureus, A. R. S. H. 1743, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſienſis Typographi, 1743.